



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Articulus V. Sítne Deus in spatiis imaginariis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

11. Dices primò. Hæc ratio S. D. videtur petere principium, quia omnipræsentiam DEI probat per immediationem suppositi, quæ ipsa nihil aliud est, quàm interna præsentia, ergo. Resp. nego antec. ejusque probationem: nam S. D. ultimò probat omnipræsentiam DEI ex universalissimo modo operandi, necessariò procedente ex virtute increata & inferente immediationem suppositi.
12. Dices secundò. Prius naturâ est DEUM esse alicubi, quàm ibi operari: ergo ex operatione transiente DEI non rectè probatur ipsius omnipræsentia & immensitas. Antec. probatur: quia operari sequitur ad esse, & prius est rem esse, quàm operari.
- Resq. nego antec. & ad probationem dist. antec. prius est esse quàm operari ad extra in linea essendi, conc. in linea locandi, vel essendi alicubi, sic nego. Nam in linea locandi, primum est ratio locandi, alterum ipsa res locata.
13. Dices tertio. DEUS ab æterno fuit immensus,

quamvis ab æterno nihil fuerit operatus: ergo immensitas est prior ratione quàm operatio. Resp. conc. totum, quia immensitas formaliter non constituitur per operationem sed per virtutem operandi.

Dices quartò. Immensitas DEI reddit DEUM rebus præsentem præsentia infinita: sed immensitas est prior operatione; ergo DEUS per prius redditur præsens rebus, quàm operetur in ipsis. Resp. dist. min. immensitas ut virtute DEUM faciens præsentem, est prior operatione conc. faciens actum præsentem nego. ergo per prius DEUS redditur rebus præsens, quàm operetur, virtute, conc. actum præsentem nego conseq.

Si dicas: Hæc ratione immensitas non constituet distinctum attributum ab omnipotentia. Resp. nego seq. nam immensitas non constituitur formaliter per virtutem operandi præcisè ut talem; sed per ipsam ut diffusivam divinæ substantiæ & virtualiter extensivam sine fine & termino in infinitum.

## ARTICULUS V.

## Sitne DEVS in spatiis imaginariis.

## SUMMARI A.

1. DEVM non esse in spatiis imaginariis probat multiplex ratio.
2. Simul auctoritas S. script. & PP.
3. Rejicitur ubicatio intrinseca absoluta.
4. Quæsentia SS. PP. dicant DEVM esse supra & extra mundam.
5. Obijciunt paritas de æternitate.
6. Eadem retorquetur negando anterioritatem formalem in æternitate.
7. Disparitas inter æternitatem & immensitatem.
8. Non sequitur ex nostra sententia DEVM posse esse diversim vel mutabilem.
9. Immensitas sequitur ad duplex attributum.
10. DEVS ubique per essentiam, potentiam, & præsentiam.
11. Nulli creatura communicabilis ubiquitas.

## §. I.

## Impugnatur existentia DEI in spatiis imaginariis.

CONCLUSIO. DEVS actu non est in spatiis imaginariis. Ita Thomista. Ratio ex dictis est primò, Deus actu ubi est, ubi operatur: sed Deus defacto nihil operatur in spatiis imaginariis: ergo in illis actu non est. secundò. In nihilo nihil est, inquit S. D. in 1. d. 37. q. 1. a. 3. sed illa spatia imaginaria & mundi possibili actu nihil sunt, ergo.

Tertio. Nihil dicitur existere in rebus imaginariis, v. g. non dicimus, accidentia Eucharistia existere in subiecto imaginario: ergo etiam in spatio imaginario nihil rectè dicitur existere.

Quartò. Verbum Divinum priusquam mundus fuit productus, ab æterno non dicitur fuisse in mundo imaginario, sed in principio æternæ generationis, Verbum erat apud DEVM. Jo. c. 1.

ergo etiam si mundi plures extra hunc mundum producibiles in infinitum, tamen non rectè dicitur DEUS in iis existere, sicuti nullo adhuc existente mundo ab æterno existeret in se ipso, non in mundis possibilibus, prout testantur SS. & antiqui PP. D. Aug. in pl. 122. Antequam DEVS faceret Cælum & terram, ubi habitabat? & antequam faceret sanctos, ubi habitabat? in se habitabat DEVS, apud se habitabat, & apud se est DEVS. Tertull. l. adv. Prax. c. 5. ante omnia DEVS erat solus, & ipse sibi locus, & omnia. Dionysius Carthus. in 1. d. 37. q. 1.

Dic ubi tunc esset, cum præter eum nihil esset? Tunc ubi nunc, in se, quoniam sibi sufficit ipse.

D. Bern. l. 5. d. confid. c. 6. similiter interrogans, ubi erat DEVS, antequam mundus fieret? Respondet. Non est, quod quæras ultra, ubi erat? præter ipsum nihil erat: ergo in se ipso erat.

Dices: Hæc quidem probare DEUM non esse in spatiis imaginariis per præsentiam & ubicationem relativam, non autem probare, quòd DEUS ibi non sit per suam absolutam præsentiam & ubicationem suæ essentiæ intrinsecam, per quam non tam in spatio imaginario, quàm in se ipso est ultra cælos in immensum diffusus, prout indicat S. script. Job. 11. Excelsior cælo, profundior inferno. SS. PP. passim dicentes cum D. Gregorio 2. Moral. c. 8. & Damasceno, DEVM esse extra omnia & ultra omnia, omnia ambiendo terminantem, & super omnia existentem. imò ipse S. D. quodl. 12. a. 1. DEVM non tantum esse in his, que sunt, sed etiam in imaginariis & in præteritis, & in futuris.

Sed contra est, quòd S. D. non aliam agnoscit quàm relativam præsentiam & ubicationem: & illa DEI absoluta præsentia vel ubicatio, in intrinsecis ac modalibus ubicationibus fundata, sit fictitia. Ita enim d. 39. q. 2. a. 3. hinc DEO, inquit,

ab

ab aeterno non conveniebat ubique, vel in rebus esse, cum esse ubique importet relationem DEI ad creaturas, fundatam super operationem DEI. Itaque esse in se ipso, non dicit præsentiam, sed existentiam, & quicquid præsens est, alicui præsens est.

4. S. script. SS. PP. & ipse D. Th. oppositi loquuntur in sensu, à D. Augustino eleganter expresso in l. de nat. boni. c. 3. ubi dicit: *DEVS est supra mundum, & extra mundum non spatii locorum, sed ineffabili & singulari potentia*, hoc est, virtuales DEI contactum ad res creatas non esse hujus universi limitibus coarctatum, quin DEUS alia & alia in infinitum creando possit eundem virtuales contactum in infinitum diffundere.

## §. II.

*Solvuntur objectiones.*

5. Objic. tamen primò. DEUS ratione suæ immensitatis eodem modo se habet ubicativè, sicut se habet ratione suæ aternitatis durativè: sed ratione suæ aternitatis se habet durativè, ut verè actu infinite duraverit ante mundum; ergo ratione suæ immensitatis sic se habet ubicativè, ut verè actu infinite sit ubicatus extra mundum.

Confirm. sicut in duratione se habent differentia temporis ante & post, ita in ubicatione se habent differentia ubicationum intra & extra, ultro & citro: ergo sicut aternitas DEI tanquam infinita duratio ipsius excedit omnes differentias temporum, sic immensitas tanquam infinita DEI ubicatio excedit omne spatium & differentias ubicationum.

6. Resp. primò permittit maj. dist. min. & retorquendo argumentum. DEUS per suam aternitatem infinite duravit ante mundum, anterioritate formali, nego, virtuali & eminentiali, concedo; quatenus nimirum DEUS potuisset alias & alias partes anteriores temporis, creare in infinitum, quibus omnibus sua aternitas coexistisset: ergo etiam DEUS ratione suæ immensitatis est ubicatus extra mundum exterioritate vel ulterioritate virtuali, & eminentiali, quatenus nempe potest alia ulteriora spatia in infinitum condere, in quibus existat, concedo, formali nego.

Certè D. August. 12. de Civ. c. 5. ejusdem pen- si habet & moras imaginarias ante tempus, & spatia imaginaria extra mundum, dicens: *quod si dicant, inanes esse hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cum locus nullus sit præter mundum, responderetur eis, isto modo inaniter homines cogitare præterita tempora vacationis DEI, cum nullum tempus sit ante mundum.*

7. Resp. secundò negando maj. ejusque ac simul probationis paritatem. Nam aternitas est proxima & immediata ratio divinæ infinite durationis actualis, quæ proinde omnes differentias creatæ durationis cum infinito excessu eminenter continet: atqui immensitas DEI non est proxima & immediata ratio ipsius actualis ubicationis; hanc quippe denominationem non nisi temporaliter &

mediante contactu immutaturæ creaturarum consequitur, quo non tam DEUS ipse se rebus, quam res sibi præsentibus efficit, non ut in iis contentus, sed ut ipsas ex se & in se continens,

8. Obijcies secundò. Sequeretur ex nostra sententia, quòd DEUS posset mutare locum, vel esse à semetipso divisus, quorum utrumque est absurdissimum. Prima sequela probatur: Ponamus quòd DEUS hunc mundum moveat motu recto, tum sicuti mundus non amplius occuparet hoc spatium, quod modò occupat, ita nec DEUS esset actu in illo loco, in quo priùs fuit. Secunda quoque sequela probatur: Si DEUS crearet alium mundum, qui huic nostro non foret contiguus, tunc DEUS secundum nostram sententiam esset in utroque mundo, & tamen non esset in spatio imaginario intermedio, ergo à se ipso distaret & esse divisus.

Resp. nego utramque sequelam, & primam quidem: quia DEUS non sit rebus præsens accedendo ad ipsas, seque iis applicando, sed ipsas sibi attrahendo & applicando, in quantum ipse immotus eas è nihilo educit, conservat, & ut dicitur sap. 7. *in se permanens omnia innovat.* Secundam verò sequelam: quia DEUS non est modo divisibili in creaturis; unde in illo casu divisio & distantia tantum se teneret ex parte creatura, sicuti nec corpus Christi in celo existens est à se ipso divisum, quatenus existente in eucharistia, quia in eucharistia modo indissolubili existit.

## §. III.

*Corollaria.*

1. Inferes ex dictis primò. Divinam immensitatem ad duplex attributum consequi: nam quatenus est virtualiter contactiva spatii, sic ad omnipotentiam sequitur; quatenus autem habet, ut sine fine & termino possit per infinita spatia diffundi, sic consequitur ad attributum infinitatis.

Inferes secundò. DEUM ubique esse per essentiam, potentiam, & presentiam. Per potentiam (ita exponente S. D. hic q. 8. a. 3. in c.) in quantum omnia ejus potestati subduntur, per presentiam, in quantum omnia nuda & aperta sunt oculis ejus, per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi.

Inferes tertio contra hæreticos Ubiquistas, præsentiam ubiquitatis, seu esse ubique, nulli creaturæ esse communicabilem, ex S. D. hic a. 4. Nam creatura aut est alicubi per quantitatem motus, ut corpora, vel per quantitatem virtutis, hoc est operationem, ut Angeli. Si primum, tunc habet certos dimensionis suæ terminos, nec proinde vel in infinitum extendi, vel extra illos terminos in omnibus locis replicari potest. Si secundum, tunc habet limitatam spheram suæ activitatis, ac proinde sicut nec in infinitum operatur, ita nec esse ubique potest.

## ARTICULUS VI.

*De immutabilitate DEI.*

SUMMARIUM.

1. Definitio mutationis.
2. Eius divisio.
3. Veritas Catholica.

4. Quam evincunt rationes ascendentis, adus puri, & simplicitatis.
5. Implicite creatura simpliciter immutabilis.

6. Im.